
Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 369 [45,-193 4°]




Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 369 [45,-193 4°]


Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 369 [45,-193 4°]



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 369 [45,-193 4°]



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 369 [45,-193 4°]



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 369 [45,-193 4°]

Bourgens Bibliothek.

45,-193.-4°

(LN bis 369)

DA BOX

BIBLIOTHECA REGIA · HAFNIENSIS ·

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 369 [45,-193 4°]

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 369 [45,-193 4°]

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 369 [45,-193 4°]

BREVIS NARRATIO, VNA CVM EPITAPHIIS NONNVLLIS, A DIVERSIS CONSCRIPTIS, DE VITA, PRAECIPVIS REBVS GESTIS, ET OBITV NOBILISSIMI AC FORTISSIMI VIRI DANIELIS RANTZOVII, COPIARVM SERENISSIMI REGIS DANORVM FRIDERICI II. IN SVECOS PRIMARII DVCTORIS, QVI IN OPPVGNATIONE ARCIS VVARPVRGAE HONESTISSIME OCCVBVIT.

ITEM.

QVERELA DANIAE ET RESPONSIO CIMBRIAE DE OBITV EIVSDEM, CONSCRIPTA

AB

HENNINGO CVNRADINO.

HAMBVRGI,
EXCVDEBAT NICOLAVS VVEGENER.

ANNO M. D. LXX.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 369 [45,-193 4°]

EX PRIMO MACHABAEO-RVM, IX. CAP.

At Iudas: Abſit hoc, inquit, à me facinus, vt illos fugiam: quòd ſi nobis fatalis hora venit, moriamur pro fratribus noſtris fortiter, neue gloriæ noſtræ crimen relinquamus, atq; ibi cum acriter pugnaretur, multis vtrinq; cæſis, occubuit Iudas. Ionathas autem & Simon Iudam fratrem abſtulerunt & in patrio ſepulchro condiderunt, eumq; omnes Iſraëlitæ magno cum ploratu & plangore diu luxerunt, conquerentes tam fortem Iſraëlitarum cecidiſſe conſeruatorem.

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 369 [45,-193 4°]

BREVIS NARRATIO DE VITA, PRAECIPVIS REBVS GESTIS, ET OBITV NOBILIS AC STRENVI VIRI DANIELIS RANTZOVII, EXERCITVS DANICI IN SVECOS DVCIS SVPREMI.

NOBILIS *ac ſtrenuus vir* DANIEL RANTZOVIVS *ex equeſtri & Rantzouiorum familia in Cymbria ſiue Holſatia patre Godtſcalco, Regum Daniæ quondam conſiliario, ac Domino caſtrorum Nienhoues & Vuammendorp natus, ſcientia rei militaris, virtute, autoritate & felicitate præſtans fuit bellator. Hic cum in teneris annis à patre manſuetioribus literarum ſtudijs addictus eſſet, feliciter ijs incubuit, & præter Germanicam, quæ ipſi vernacula ac natiua fuit, linguas, Latinam, Italicam, & Danicam exactè & expeditè calluit. Poſtea verò, vt cum gloria ingenij bellicæ etiam diſciplinæ laudem coniungeret, progreſſu ætatis generoſum, ac Heroicis virtutibus excellentem animum, ſiue diuino quodam inſtinctu, ſiue naturæ etiam impetu atq; inflammatione adductus, ad rem militarem adiecit. Proinde vna cum illuſtriſsimo Holſatiæ duce Adolpho, in imperatoriam Caroli V. aulam profectus eſt, ibidemq; per triennium ferè commoratus in Italiam contendit, vbi inter Caroli V. proceres ac*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 369 [45,-193 4°]

præfectos per quinquennium verſatus, militiæ diſciplinam percepit, cumq; ex eo ſingularis fortitudinis, cum ſumma prudentia coniunctæ eluceret ſignificatio, vnius cohortis ductor conſtitutus eſt. Ex Italia ipſi reuerſo adminiſtrationem arcis Peynæ, in ducatu Brunſuicenſi ſitæ, princeps Adolphus commiſit. Cum autem tum temporis ab eodem Holſatiæ principe, in Dithmarſiam bello domandam expeditio ſuſciperetur, Daniel Rantzouius eum in vſum copijs vndiq; comparatis, in eo bello primò duabus cohortibus peditum eſt præfectus: Deinde verò, duce Schonuueſio ab hoſtibus cæſo, à legione eiusdem, propter ſtrenuam in bello nauatam operam, reiq; militaris inſignem peritiam, in defuncti ducis locum ſurrogari poſtulatus eſt. Cum autem Dithmarſica gente ſub iugum redacta, nouum bellum inter Regem Danorum & Suecos ſubortum eſſet, Daniel Regiæ Maieſtati ſuam quoq; operam negare noluit, cum alioqui iuſtam excuſationem, propter natam ex nobili Dammiorum familia ſibi iam tum deſponſatam ſponſam, prætexere potuiſſet. Itaq; primò viginti quatuor cohortes peditum Regi adduxit, quarum ipſe præfectus eſt deſignatus: Mox autem, ob ſummam in rebus gerendis prudentiam & felicitatem, totius belli adminiſtrator, copiarumq; militarium in Suecos primarius dux eſt electus. In quod bellum difficillimum & iam ſeptenne, vir animoſus, ſummis laboribus & ſudoribus bellicis perfunctus, pro Rege ſuo & regno Daniæ, vitam, fortunas & omnia reliqua impendit: diuerſa & acerrima prælia cum Suecis, magna hoſtium edita ſtrage, commiſit: In campo Aſtorſheide quatuor milibus, viginti ſex milia

hoſtium

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 369 [45,-193 4°]

hoſtium in fugam conuertit, quinq́ milibus ex his cæſis: Spacio ſemeſtri regnum Sueciæ, ad quod omnis aditus arduus & penè obſtructus videbatur, magna itinerum contentione ac difficultate, admirabiliq́ adhibita celeritate, in ipſa hyeme, per loca inacceſſa, anguſta, & ob copioſum numerum hoſtium eò confluentium infeſta, iter faciens peragrauit, multasq́ arces, pagos & agros igne & gladio vaſtauit ac depopulatus eſt: Tres hoſtilium copiarum duces Regi ſuo captiuos tradidit, remq́ ſingulari dexteritate eò perduxit, vt Rege Suecorum Erico armis exuto, à ſuisq́ ſubditis in vincula coniecto, dux Finlandiæ Iohannes frater ipſius, periculi imminentis ratione habita, tractationem pacis à Rege Daniæ per literas petierit, quam ipſe Daniel vir prudens vehementer diſſuaſit, ſedulò monens, cum raro fides ab amicis præſtetur, non temerè hoſti armato credendum, ſed armis decernendum, victoriaq́ vtendum eſſe. Ideoq́ Regi periculum, ob Suecorum metuendam cunctationem impendens, denuntiauit. Quod rei etiam comprobauit exitus. Nam cum dux Iohannes, captiui Regis Erici ſucceſſor, interea exercitum magis armaſſet atq́ inſtruxiſſet, bellumq́ paulò poſt renouaſſet, Daniel Rantzouius exercitu Danico vnà cum tormentis bellicis ad arcem VVarpurgam reducto, eam vehementiſſimè oppugnauit, machinisq́ bellicis fractam ad deditionem tandem compulit, in qua obſidione, dum ipſe in dirigendis machinis æneis eſt occupatus, caput eius globo, ex hoſtili tormento exploſo, traiectum eſt, poſt quem ictum mox expirauit, non ſine gemitu, lacrymis & luctu totius exercitus ac

Regis, qui mortui virtutes coram reliquis copijs commendauit. Et hoc modo vir omnium iuditio generoſiſſimus ac fortiſſimus habitus, in milites liberalis ac beneficus, acriter pro Rege & libertate Daniæ pugnans, in ipſo ætatis flore, & ſplendoris, honorumq́ʒ faſtigio immatura morte occubuit, & victor in ipſa victoria perijt. Ad cuius laudem hoc etiam accedit, quodcum vtrumq́ʒ parentem huius belli tempore amiſerit, Regem tamen, paternæ hæreditatis adeundæ gratia, non deſeruerit, ſed operam ei ſuam vſqʒ ad extremum vitæ halitum præſtiterit fideliſſimam. Exuuiæ mortui duabus turmis equitum vſqʒ ad mare Balthicum deductæ, iuxta tenorem teſtamenti, paulò ante mortem ab ipſo, mentis quodam præſagio rerum humanarum fragilitatem perpendente ritè confecti, in auitum progenitorum ac maiorum ſuorum ſepulchrum in æde ſua parochiali in VVeſtenſehe ſitum illatæ, ac à Duce Adolpho, legatis Lubecenſium, & totius Holſatiæ nobilitate, certiſſima & firmiſſima futuræ reſurrectionis ſpe, ſepulturæ honorificè mandatæ ſunt.

Deceſſit, Anno Domini M. D. LXIX. die XI. menſis Nouembris, cum vixiſſet annos XL. & menſem vnum.

EPITA-

EPITAPHIVM
DANIELIS RANTZOVII, AVTORE HEN: RANTZOVIO.

NOBILI VIRO DANIELI RANTZOVIO, EQVITI HOLSATO, DOMINO CASTRORVM NIENHOVES, TROIEBVRGI ET VVOLDEHORN, BELLI INTER SERENISSIMVM DANORVM REGEM FRIDERICVM II. ET SVECOS PER SEPTENNIVM GESTI, SVMMO DVCI ET PRIMARIO ADMINISTRATORI, MVLTARVM PVGNARVM ACERRIMARVM, CVM SVECIS MANV PRORSVS IMPARI COMMISSARVM, VICTORI, IN ILLORVM REGIONE VIARVM ABSTRVSARVM ET ANTEHAC INCOGNITARVM INVESTIGATORI AC INVENTORI, EORVNDEMQVE VRBIVM, PAGORVM ET AGRORVM EVERSORI AC DEPOPVLATORI, ARCIS VVARPVRGICAE EXPVGNATORI, DE REGE ET REGNO DANIAE OPTIME MERITO, GENTILI, COGNATO ET AMICO SVO

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 369 [45,-193 4°]

OPTIMO ET CHARISSIMO, CVM IN OBSIDIONE DICTAE ARCIS TORMENTO ICTVS, MORIENDO VINCENS, VITAM VIRILITER PROFVDISSET, HENRICVS RANTZOVIVS, D. IOHANNIS RANTZOVII FILIVS, IN DVCATIBVS REGIS DANIAE VICARIVS, HOC, NON TAM PRIVATI, QVAM TOTIVS DANIAE AC HOLSATIAE LVCTVS PERPETVVM MONVMENTVM, MORE MAIORVM PIE ET RELIGIOSE MOERENS, NON SINE LACHRIMIS POSVIT.

Obijt Daniel Rantzouius anno Chriſti, M. D. LXIX. XI. Die Menſis Nouembris, Anno ætatis ſuæ quadrageſimo.

ALIVD

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 369 [45,-193 4°]

ALIVD EPITAPHIVM DANIELIS RANTZOVII, D. PAVLO AB EITZEN, THEOLOGIAE DOCTORE AC EPISCOPO SLESVICENSI, AVTORE.

Heu belli fato Daniel Rantzouius heros,
Occidit, Holſatum gloria, fama, decus,
Bella gerens, hoſtes vicit virtute, manuq́ꝫ
Forti, conſilijs, auxilioq́ꝫ Dei.
Ille ad cœleſtem vitam migrauit, Achyllem
Amiſſum deflet patria terra ſuum.

EPITAPHIVM NOBILIS HEROIS DANIELIS RANTZOVII, AVTORE MICHAELE REDERS, I. V. DOCTORE AC DECANO HAMBVRGENSI.

Siste gradum, faciliq́ꝫ truces oculo aſpice caſus
Lector, & hæc animo ſuſpice fata graui.
Hac Daniel tenui tegitur Rantzouius vrna,
Bellica cui virtus nomen & omen erat.
A teneris ſiquidem lituos & caſtra ſecutus,
Caſtra peregrinis ſanguinolenta iugis.
Claruit illuſtri terris virtute remotis,
Vicinamq́ꝫ ſuo Marte notauit humum.

 Balthi-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 369 [45,-193 4°]

Balthica montoſis, vbi forte Suecus ab oris,
Hoſtili vaſtat littora adunca manu.
Immemor & patriæ legis Danica arma laceſſit:
Regali hic iuſſu regia caſtra regit.
Atq; , quod Iliacos quaſi bellum attraxerat annos
Belli dux, ſimili Marte, fideq; gerit.
Hoſtem bis victor deuincit clade cruenta,
Et petit obſcuris inuia regna vijs.
Armatos belliq; duces audacibus armis
Tres capit, hoſtilem fertq; refertq; pedem.
Sed perit & vincit tandem ſimul inclytus heros,
Aptans ſanguineis cara trophæa genis.
Et ſic, cuius acer metuebat nomen & vmbram
Suecus, inacceſſis, plebe tremente, iugis,
Hic iacet extinctus, nigra tumulatus arena
Factus vipereis vermibus eſca putris.
Quem præmatura Mars morte peremit, in ipſo
Famæ, atq; ætatis flore virente ſuo.
Famæ, qua viuit gentilibus immortalis,
Et vitam ex Chriſti vulnere miles habet.
Hæc igitur monumenta videns, ſuſpiria votis
Iunge decens lector, quo tibi fiat idem.

IN

IN OBITVM NOBILISSIMI AC FORTISSIMI HEROIS, DANIELIS RANTZOVII PRIMARII, REGIAE MAIESTATIS EXERCITVS DVCIS.

PElides Danaum decus eſt, & gloria gentis,
Hectore magnanimo Troia ſuperba fuit.
Miratur Decios, miratur Roma Metellos,
Rantzouius patriæ eſt gloria ſumma ſuæ.
Conſilio prudens, ſermone diſertus, & acer
Bellator, præſtans lingua, animo, atq; manu.
Fortis & inſigni excellens virtute, fideq;,
Ingenio clarus, clarus & eloquio.
Heu cadit ante diem, verſant ſic omnia fatum,
Et ſors, virtuti ſors inimica bonæ.
Fortiter hic etenim in Suecum dum fulminat, alta
Arx vbi Vuarpurgum tollit ad aſtra caput,
Suecum, quem toties domuit, volat ecce repentè
Ferreus hoſtili, miſſus ab arce, globus.
Nec mora, magnanimi ſacrum ducis impetit ictu
Ah nimis infauſto, comminuitq; caput.
Hoc erat, occiduo quod viſus in orbe, diebus
Iſdem prædixit triſte cometa tuens.
Nunc dolet amiſſum Rex, Miles, plebs, proceresq;,
Patria mœſta dolet, Dania mœſta dolet.
Sed mors, nil niſi quod fuerat mortale, reſoluit
Corpus, virtutis fama perennis erit.

BREVE EPITAPHIVM DANIELIS RANTZOVII A. D. B.

SVecorum iacet hic domitor, terrorq́; pauorq́;
Spes charitum, generis gloria, Martis honos.
Ingenium, pietas, grauitas, facundia, candor,
Cuncta ſub hoc duro marmore clauſa iacent.

ALIVD.

DIgna duci ſtatuat ſi Dania grata petenti
Rantzouio Heroi, qualia buſta dabit?
Talia: Ne quoties dubiam fuſo hoſte ſalutem
Attulerit Danis, neſciat vlla dies.
Nec quod vita dedit decus inſuperabile bello,
Funere mors pariter tam generoſa tegat.

QVERELA DANIAE DE AMISSO FORTISSIMO ET NOBILISS. HEROE DANIELE RANTZOVIO, TOTIVS REGII EXERCITVS DVCTORE PRIMARIO, AVTORE

HENNINGO CVNRADINO.

HEV nihil humanum ſtabile eſt, ſors cæca vagatur,
Pulſaq́; præcipiti turbine, cuncta rotat:
Omnia ceu filo tenui pendentq́;, tremuntq́;,
Et varias adfert quælibet hora vices.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 369 [45,-193 4°]

Quid querar? inuiſi dum Martis ad arma reuertens,
    Specto rebellantis vimq́; , dolumq́; , plagæ:
Nil tam triſte tuli toto hoc diſcrimine belli,
    Funera Rantzouij quàm properata ducis.
Arx mihi, de ſpecula cui nomen, ad æquoris vndas
    Adiacet, at facies altera ſpectat agros.
Machina cum lectis huc ducitur ænea ſignis,
    Aggere quà latuit cinctus & hoſtis aqua.
Singula dum luſtrat Ductor tormentaq́; muris
    Applicat, (heu vitæ prodigus ipſe ſuæ)
Attulit hic fatum celeres glans acta per auras,
    Præbuit at victas, hoſtica turba, manus.
Hic vir erat, cuius fidei me debeo totam,
    Summaq́; cui noſtri credita Martis erat.
Quicquid enim fueram fortunæ experta benignæ,
    Illius in dextram, Numina prona, dabant.
Huic allapſa fuit niueis Victoria pennis,
    Semper & in galea viſa ſedere Viri eſt.
Maganimo pugnans toties qui pectore, miſit
    Milite non multo, millia multa neci.
Irruit intrepidus, rapidum ceu fulmen, in hoſtes,
    Indomita ſternens obuia quæq́; manu:
Scipiades Italo velut agmina milite fundens,
    Pœnorum domuit, corda ſuperba, ducum.
Solus in armatas non horruit ire phalanges,
    Compulit & ſubitæ vertere terga fugæ:
Vt ſtetit in rutilis, cum Scanderbegius, armis,
    Erupitq́; oculis flamma, labriſq́; cruor.
Sæpius ad ſolum, conterrita Suecia, nomen,
    Palluit, & manes nunc ſtupefacta tremit.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 369 [45,-193 4°]

Nam niſi victor humo deceßit, & ardua victrix
Mens quoq; fortunæ, iam ſuper aſtra volat.
Suntq; ducis ſeptem totos mihi nota per annos,
Virtus, conſilium, pectora, dextra, fides.
Non melius contra Troiam pugnabat Achilles,
Et non pro Troia fortior Hector erat.
Nec belli vlterius fama eſt diſperſa per orbem,
Inclyta, quàm tanti gloria, ſpeſq;, ducis.
Quem ſi nuper ego potuiſſem audire monentem,
AEquora cum duro frigore ſtrinxit hyems:
Sed te nunc gemitu fruſtrà, votiſq; requiro,
Te decorant lacrymis, Martia caſtra, ſuis.
Cœrula te plorat ſub fluctibus Amphitrite,
Ingemit & tinctis, Hafnia celſa, genis.
Rex etiam amiſſum: ſed deſino, nec mihi queſtus
Sarcire hæc poterunt damna, ſed ipſe DEVS.

RESPONSIO CIMBRIAE.

NON Equidem ſuperos, aulæ cœleſtis, honores
Inuideo Iuueni, qui fortunata frequentat
Concilia Heroum, terris quos extulit altè,
Et cœlo æquauit virtus, vbi cernere coràm
Tot datur illuſtres animas, vultuſq; tueri
RantZoui patris antiquos, & luce potiri
Communi, celereſq; poli mirarier orbeis:
At terris queror ereptum, florentibus annis,
Et tot dona ſimul prærepta: nec acrius vllum
Virtutis ſtimulabat amor, vis ignea menti,
Egregiuſq; decor membris, & plurimus amplæ
Frontis honos, tremuloq; oculi fulgore vigentes,

Voxq;

Voxq́; infracta ſono, veſtigia ſtirpis auitæ,
Qui priſcum Herminium ſumptis præſtaret in armis.
Hinc dudum agnoui generoſum, Cimbria, partum,
Auſoniæ metuenda olim, domitrixq́; Quiritum.
Hunc ſibi gens Chriſti, in Turcæ, Heſperiaq́; furorem
Poſceret, & magno adflictis optauerit emptum
Iamq́; adeò concuſſa dolet Germania luctu,
Amiſſumq́; gemit, laceros diffuſa capillos,
Qualis conueniens iuxta Tyberina fluenta,
Marcelli ad tumulum doluit Mauortia Roma,
Aeternum ergò heros ſalue fortiſsime, ſalue
Rantzouij clarum generis decus: optima dicent
Facta tua, extremo poſitæ ſub cardine gentes,
Germanamq́; fidem extollent, hauſtosq́; labores.
Quantum o præſidium, quantam & ſpem Dania perdis:
Hoc ſaluo, regnis equidem nil triſte timeres,
Et, quamuis cumulet ſtrages, & cuncta cruentet,
Haud impunè tamen renouaſſet Suecia Martem.
At tu magne heros, nunc cum conſorte laborum
Franciſco, dederat quem ſtirps Brochuſia, terras
Diſcordes, obitu liquiſtis, & altera regna
Vnanimes colitis, quos ſancto fœdere iunxit
Vna fides, atq; vnus amor, mors ſuſtulit vna:
Illinc deſpicitis viles ex æthere curas,
Et tumidos faſtus, inceptaq́; callida mentis:
At potius, multos quæ vicerit vna triumphos,
Optatis pacem: date pacem optantibus alba
Lilia, narciſſumq́;, immortaleſq́; amaranthos,
Et caro cineri extremum perſoluite munus,
Ad Boream cui Mars ſtruxit pater ipſe ſe pulchrum.

Vitæ

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 369 [45,-193 4°]

Vita hæc eſt flori ſimilis, qui naſcitur horto,
Mane leuans pulcrum caput, at mox veſpere ponens,
Momentoq́; hominum res omnis vertitur vno:
Aeternum at ſuperat virtus, magni æmula ſolis
Luſtrantis cœlum radijs, terrasq́; calentes,
Et fruitur fama nunquam morientis honore.
At tibi ductores fidos, victriciaq́; arma
Sufficiat, ſolo qui temperat omnia nutu.

EPITAPHIVM,

NOBILISSIMI VIRI, ET BELLICA VIRTVTE CLARISS. DANIELIS RANTZOVII, BELLI SVECICI SEPTENNIVM DVCIS PRIMARII, QVI IN OPPVGNATIONE ARCIS VVARPVRGAE, PRO REGE, ET PATRIA FORTISSIME OCCVBVIT, ANNO M. D. LXIX.

HOC Daniel tegitur, Mauortis gloria, buſto,
Rantzouidum antiquo ſtemmate natus eques.
Qui varios mores, vt noſcere poſſet, & vrbeis,
Luſtrauit patrio, diſsita regna, ſolo.
Et veteris Latij veſtigia vidit, & arte
Palladia inſtructum nobile pectus erat.
Diuus & hunc Proceres, & belli, Carolus, inter
Ductores habuit, ductor & ipſe fuit.

Claruit

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 369 [45,-193 4°]

Claruit hinc factis illuſtribus edita virtus,
Nota per Eoas, Heſperiasq́ plagas.
Dextraq́ cum Regi perſpecta, fidesq́ fuiſſent,
Et noua cum Suecis bella gerenda forent:
Solus erat, rerum moles quem tanta vocabat,
Totius huic belli credita ſumma Duci eſt.
Maxima cum ſæuis inijt bis prælia Suecis,
Bis victor, capti tresq́ fuere duces.
Semper & affulſit proprio victoria fato,
Arduus inuicta quà tulit arma manu.
Daniacæ viuens fuit hic tutela coronæ,
Magnanimo præſtans pectore, mente ſagax.
Quicquid conſilio geſtum eſt, dextraq́ ſub armis,
Ranzouij dextra, conſilioq́ ſtetit
Ductorem hunc ſummum iam ſeptima viderat æſtas,
Et poterat meritæ laudis honore frui:
VVarpurgam demum ſed milite cinxerat arcem,
Cannaq́ fulmineos miſit vtrinq́ globos:
Hic fortem impendit Regi, patriæq́ cruorem,
Vitaq́ ſub duro Marte profuſa fuit.
Hunc Rex, hunc patria, ipſa ſalus hunc publica luxit,
Famaq́ Ranzouidum, tollit in orbe, decus.
Aethere mens ſtellis certat fulgore coruſcis,
Quam ſola in Chriſtum, vexit ad aſtra, fides.
Hic Mars ad tumulum Herois, virtusq́ parentant,
Et ſpargit lacrymas, Dania mœſta ſuas.

 ALIVD

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 369 [45,-193 4°]

ALIVD.

HIC ſitus eſt Daniel Ranzoa ſtirpe creatus,
Qua tulit illuſtres, Cimbria, Marte viros.
Aonias primum cupidè puer hauſerat arteis,
Diuerſis adiens, extera regna, plagis.
Maternam præter, linguas tres ore diſerto
Calluit, ingenio vectus ad aſtra ſuo.
Sed mens alta virum, Mauortis ad arma ferebat,
Quando caput magni Carolus orbis erat:
Qui fuit excelſos animos miratus, & vſum
Armorum, belli conſtituitq́; ducem.
Italiæ, luſtri ſpatium transegit, in oris,
Clarior & dextra nemo, fideq́; fuit.
Hinc Peynæ redeuntem arci præfecit Adolphus,
Eſt vbi mox peditum lecta equitumq́; manus:
Aruaq́; ſublatis petijt Dithmarſica ſignis,
Quæ Dominis ferto ſunt repetita ſuis:
Dux ſed vt occubuit medijs Schonuueſius armis,
Ranzouius tantas iuſſus obire vices.
Maius at vt bellum Suecis exarſit ab oris,
Principiò vnius dux legionis erat.
Mox ſummum hunc cepit Ductorem exercitus omnis,
Ac meruit primum dextra, fidesq́; locum.
Hinc ſeptem integros Rex eſt expertus in annos,
Pro ſe, pro patriæ bella ſalute geri.
Bisq́; acie iuſta denſos pugnauit in hoſtes,
Bisq́;, manu quamuis impare, Victor erat.

Treſq́;

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 369 [45,-193 4°]

Treſq; duces belli cepit, duxitq; triumphos,
Hoſtis & eſt latè depopulatus agros.
Res & eò ducta eſt, vt rex caperetur Ericus,
Poſceret & pacem frater, opemq; ſibi.
Verùm hanc diſſuadens, cum rara ſit inter amicos
(Dixit) quis ſtabilem ſperet in hoſte fidem?
Mox dolus euentu patuit, ſimul arma reſumunt,
Arx VVarpurga ſimul milite cincta fuit.
Fortiter hîc victor ſtans edidit halitum in auras,
Spes ſua qui Regis, ſed metus hoſtis erat.
Maiorum hic tumulis (mortis, vitæq; futuræ
Iuſſerat ille memor) condita membra iacent.
Perpetuos famam virtus extendit in annos,
At ſedes animæ, regia celſa poli eſt.

EPIGRAMMA.

VIdit vt exanimum Danielem Dania, dixit,
Fortius hoc belli tempore nil habui.
Et meritò, hoc habui nil fidius, addere poſſum,
Noſtrorum tamen hoc pace loquor procerum.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 369 [45,-193 4°]

Grabſchrifft Daniel Rantzowen auff Teűteſch.

NAchdeme der geſtrenger vnd Ehrnueſter Daniel Rantzow/ Goſchen Sone/ Inhaber der Heűſer Nienhoues/ Troieburg vnd Woldenhorn etc. der Küniglichen Mayeſtadt vnd dem Reich zu Dennemarcken fur einen Feldtoberſten/ jegen Sweden vnd derſelben Künig/ faſt in das ſiebendt Jar gedienet/ vnd in derſelbigen zeit mit den Feinden viel Schermützel vnd Schlachting gehalten/ Darunter die fürnembſte auff Aſtorffheide geweſen/ da er mit 4000. Man 26000. aus dem Felde geſchlagen/ vnd in Sweden biſsanhero vnerfarene wege eroffnet vnd in dem harten Winter/ vngeachtet der Feinde gewaltige vorhinderung/ vnd teglicher Profiandt abſtrickung gezogen/ Drey Feldtoberſten mit ſeinem hauſen gefangen/ vnd es ſo weit gebracht/ das Künig Erich in gefengknus gerathen/ König

Hans

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 369 [45,-193 4°]

Hans vmb friedts handlung geſonnen / vnd das Haus Warburg belegert / dafur er durch den Kopff erſchoſſen / Welchs Haus ſich hernacher ergeben / vnd ſonſt allzeit ſich trewlich / ehrlich / Manlich vñ Ritterlich in ſeinē dienſt / jegen ſeinen Künig vnd Heren / dem Reich Dennemarck vnd ſeinem Vaterlandt zu gutem verhalten / dafur auch ſein Bludt vnd gudt vorgoſſen vnd geſpiltet. So hat Heinrich Rantzow / Seligen Heren Johans Sone / der Küniglichen Mayeſtadt zu Dennemarcken etc. In den Fürſtenthumben Statthalter ſeinem freüntlichen lieben Vetteren / Bludtuorwanten vnd geweſenem guten Geſellen vnd Freünde / diſs zu einer gedechtnus / Ihme zun ehren / vnd anzeigung jhrer vntereinander gehabten freündtſchafft bey ſeinem Grabe auffrichten vnd ſetzen laſſen etc.

Vnd iſt erſchoſſen im Jar nach Chriſti geburdt / M. D. LXIX. am XI. Tage des Monats Nouembris zwiſchen zehen vnd elff vhren.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 369 [45,-193 4°]

Aus dem erſten Buch der Machabeier am elfften Capittel.

ABer Judas ſprach / Das ſey ferne / das wir fliehen ſolten / Iſt vnſer zeit kommen / ſo wollen wir ritterlich ſterben vmb vnſerer Brüder willen / vnd vnſere Ehre nicht laſſen zu ſchanden werden / Vnd dar geſchach eine harte Schlachting / das dar viele verwundet wurden vnd vmme quemen auff beiden ſeiten / bis das Judas auch zu letzt vmmekam / Vnd Jonathas vnd Simon nemen den Licham jhres Bruders Judae vnd begroben jhn / in ſeiner Vetter Grab / vnd alle das Volck Iſrael droch leidt vmme Juda lange zeit vnd beklageten jhne ſehr.

Dorch vorlach Hans Binders.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 369 [45,-193 4°]

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 369 [45,-193 4°]

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 369 [45,-193 4°]

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 369 [45,-193 4°]

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 369 [45,-193 4°]

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 369 [45,-193 4°]